



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVIII. Alio modo eos, qui mutuo egent, adiuuandos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

tam noua cudentes, quam Summi Pontificis statuta vetera renouantes districte precipimus, vt Iudei, qui discerni debent in habitu à Christianis, cornutum pileum, quem quidam in istis partibus consueuerunt deferre, & sua tenuitate deponere praesumpserunt, resumantur, vt à Christianis euidenter discerni valeant, sicut olim in generali Concilio extitit definitum.

Viennense quidem cornutum pileum, Rauennas secundum Rubr. 23. rotam crocei coloris in superioribus pannis gestandam viris, & idem signum mulieribus in capite. Paulus I V. Iudaei in vna parte ciuitatis reclusi, quibus ne vsuram exercerent, vetuit, Crocei coloris pileum, quo à reliquis internosci possent, ipsos ferre voluit, ita in vita eius.

Intermittere nequaquam possum, quin saluberrima statuta Concil. i. Mediolan. sub sanctissimo viro Carolo Borromaeo de Iudaeis proponam.

Ergenda familiaritatem Iudeorum.
Vt quantum possumus, Iudeis corrumpendi Christianorum mores, & eis bona per fraudem auferendi occasione adimamus, ipsosque ad viam salutis traducere studentes, ex sacrorum etiam canonum decretis, edicimus.

Vt Iudei semper, & quocumq; iter faciant, viri pileum seu birretum crocei coloris, mulieres impostum reliquo capitis integumento pannum eiusdem coloris ferant.

Ne Christiani ad conuiuia, nuptias, vel dies festos, & synagogas Iudeorum accedant; aut cum eis ludant, vel quod detestabilius est, choreas cum Iudeis agant.

Ne Iudeis Christiani in famulatu esse possint.

Ne Christiani, si in diem, vel horam, Iudeis opera suas locauerint, apud illos cibum capiant.

Ne Christianae mulieres, Iudeorum nutrices in eorum domibus esse villo pacto possint. Ne vero extra eorum domos, nisi cum necessitas, Ordinario probanda, postularit.

Ne Christiani Iudeos medendi causa ad se accersant.

Ne in coniungendis inter se matrimonijs eorum opera vrantur.

Ne Christianae mulieres Iudeis fuci, pigmentorum, aut ornandi se causa adhibeant.

Agros, praedia ecclesiastica Iudeis locari; vestes, vasa, aliaue sacra, vel ad vsus Ecclesiae destinata, vendi, aut pignori dari non liceat.

Ne in aedibus, quae Ecclesiae vicinae sint, Iudei habitent. Et si qui in eis nunc habitant, intra certum tempus omnino migrare cogantur.

Ne Christiani cum Iudeis in diebus festis, emptionis, venditionis, vel alio nomine contrahere audeant.

Netribus ante Pascha diebus Iudei in publicum prodeant; neque, quidquam palam, vel secreto in contempnitionem Christianae religionis facere audeant.

Ne dignitatem, vel publicum officium, quod ad Christianos pertinere aliquo modo possit, Iudei obtineant.

Hac, & reliqua, quae de Christianorum cum Iudeis consuetudine sacris canonibus constituuntur, curent Episcopi, & principes, ac magistratus, pro sua quique auctoritatis munere, penitus contra Christianos, & Iudeos acrioribus constitutis, vt inuiolata seruentur.

Vehementer etiam à principibus petimus, vt in singulis ciuitatibus certum locum constituant, vbi Iudei separatim à Christianis habitare conueniant. Et si quas proprias ades Iudei in ciuitate habent; intra sex menses, eas vere, non autem simulato contractu, Christianis vendi iubeant.

Illud praeterea pro sua pietate principes statuere debent: vt Iudei quibusuis contractibus, & negotijs, quae cum Christianis habuerint, in libris suis conscribendis, literis, & lingua vulgari nostra, non autem sermone aut characteribus Hebraeis vrantur. Si secus fecerint seuerè puniantur: nullumq; inde ius eis esse possit agendi, vel excipiendi.

Omni deniq; diligentia illos in eo eniti equum erit, vt fraudulentam & infidelsam Iudeorum cum Christianis contrahendi rationem, & eorum facultatibus inhiantem auaritiam comprimant, & coerceant.

Monemus vero Episcopos, vt ab hominibus pijs, ac peritis lingua Hebraica, & rituum Iudeorum, vel, si huiusmodi non

reperiuntur, ab alijs doctis, ac bonis viris curent, fidem ac doctrinam Christianam Iudeis predicandam.

Ad eas conciones Iudei omnes iussi conueniant; sed pueri, ac puella seorsum à parentibus, atq; illis maioribus natu concionatorem audiant: qui ipsos familiariter instruat; & interrogantibus benigne satisficiat.

In quo signum aliquod conuersionis cognitum fuerit, is ab alijs separetur: & in domum aliquam cathecumenorum ad id paratam, deducatur; vbi diligentius omnia, quae scire Christianum oporteat, doceatur.

Cathecumeni ne baptizentur, nisi prius diligenter instruantur, & examinati fuerint, praesertim si grandiores sint.

Baptizati cure alicuius probi viri, saltem per annum committantur, qui vitam illorum iis rationibus regat ac moderetur.

Vt diebus festis Missam, conciones, ac vespers obeant.

Aliis diebus aliquo artificio, quo victum quærere possint, vrantur.

Ne cum Iudeis vllam omnino consuetudinem habeant.

Neue cum Christianis, quorum vita flagitiosa sit.

Curet Episcopus, vt Iudeus, qui ad fidem se conuerterit, omnia bona sua habeat: ac si filius familias sit, legitima, & quaecumq; alia bonorum pars, ei iure debita, à patre etiam viuente, detur. Vel si mulier fuerit, ei dos à marito restituatur, vel à patre constituatur, vnde ali possit ex praescripto constitutionis Pauli III. Summi Pontificis: praesertim in iis, quae ille statuit de iis facultatibus, quae ex vseris comparatae sunt.

Quinto etiam magistratibus prohibentur, quod signum est, alienos esse eos omnino à republica. ita Lateran. sub Innocent. 3. c. 69. Cum sit nimis absurdum, vt Christi blasphemus, in Christianos vim potestatis exerceat, quod super hoc Toletanum Concilium prouide statuit: nos propter transgressorum audaciam in hoc capitulo innouamus, prohibentes ne Iudei officiis publicis praerantur, quoniam sub tali prae-textu Christianis plurimum sunt infesti.

Si quis autem officium eis tale commiserit, per prouinciale Concilium (quod singulis precipimus annis celebrari) monitione praemissa, districtione qua conuenit compescatur. Officium vero huiusmodi, tam diu Christianorum communio in commercijs, & alijs denegetur, donec in vsus pauperum Christianorum, secundum prouidentiam dioecelani Episcopi conuertatur, quicquid fuerit adeptus à Christianis occasione officij sic suscepti: & officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit: Hoc idem extendimus ad paganos.

Cum igitur vestis, habitatio, omniaque eo collata sint, vt Christiani cum Iudeis non agant; idque interesse Reipublicae, & Ecclesiae omnes iudicent, melius hoc obtineri non potest, quam vt omnino pellantur; venenatae bestiae nunquam sine periculo domi sunt, etsi non semper venenum exerant, id enim non faciunt, vel quia timent, vel quia torpent. Iudeis obnoxium esse, cum illis familiariter versari, conuiuari, in aula principum, consulum, senatorum eos versari, siue magno publicae salutis, decori, iustitiae, morum detrimento non credo.

CAPVT XVIII.

Alio modo eos qui mutuo egent, adiuvandos.

§. I. IN magna multitudine diuitum, & beneficiorum non deesset, qui mutuum pecuniam liberaliter offerret egentibus, sed negligentia, & sublata fides facit omnes timidos.

Si quis mutuum dederit, sit pro proprio perditum;

Quum iam repetas, inimicum amici beneficio inuenis.

Nihil promptius, quam ex beneficio inimicos facere.

Nam maxima pars, morem hunc hominum habet:

Quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt: sed id

vbi iam penes se habent.

Liberalitatem impedit debitorum perfidia.

Iure repe-
re, quod a-
mico dati
sit, graue est

Montes piete-
tis.

De morte
pietatis co-
trouersia.

Ex bonis pessimi, ac fraudulentissimi sunt. Plaut. Trin. Quorundam periticia, perfidia, ingratitude debitorum facit, ut omnes, quos opprimit inopia, luan. Creditor interdum est molestus, & onerosus, precox, & saeuus, quod lege prohibetur. Sapius tamen debitor delicatus, & fraudator, fere enim humaniter postulant, quod debetur, qui vero debent, quantumcunque molliter appelles, quamcunque dilationem praestes, indignantur, si tenues sint; tyrannum proclamant, si magnates quali suo iure minantur; neque praesertim hac in re quicquam tam fontem benefaciendi occludit, quam beneficiorum abusus. Nec cauere satis potest, nec solet, quamuis sit hypotheca iudiceque; hoc tamen graue est, conferta manu repetere, quod amico dederis? Hac igitur serio constituenda sunt magistratui, & debitorum debita celeriter, & de plano iudicanda, & debitorum contumax puniendus est.

§. 2. Princeps, aut ciuitas quaeque suis ciuibus ex aulario mutuum det, condita die quo reddendum est, acceptaque hypotheca. Hoc sine inuidia, & odio exigitur, nec sinit debitorem spe iudiciorum esse negligentem, & obligat eos, qui indigent. Multi principes ea ex re magnam laudem consecuti sunt, & firmissimo praesidio maiestatis, hoc est, amore se munierunt.

§. 3. Perpetuum est vltiarum remedium, mons, quem vocat pietatis. Itaque & hoc in primis curae fuit, Carolo Archiepiscopo Mediolani in Concilio. Episcopi omnem curam & operam suam conferant ad erigenda & instituenda ex auctoritate Summi Pontificis loca pia, & Montes pietatis appellantur, in singulis ciuitatibus, & insignioribus oppidis; unde mutuas pecunias pauperes possint accipere. Ea quae & quae iam constituta sunt, studiosae & fideliter administranda curent. Principes autem, & magistratus obsecramus, ut ea in re Episcoporum studium, & diligentiam omni ope adiuuent. Nec in eis quidquam praeter sortem, nisi pro ministris, & aliis necessariis sumptibus, idque ex Summi Pontificis auctoritate, accipiantur.

Ortam de montibus disputationem Leo X. finiuit. Eius edictum ita habet. Leo Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Inter multiplices nostrae sollicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro pastoralis officio debemus, ut quae salubria, & laudabilia, ac Catholica fidei consona, & bonis moribus conformia, nostro tempore non solum enucleentur, verum etiam ad posterum propagentur: & quae materiam scandali praebere possent, penitus succidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vltius sinantur, ea in agro Dominico & vinea Domini Sabbatho durat, ac censeri permittendo, quibus fidelium mentes pacis spiritualiter possint, eradicationis & elestri sterilitate succisa. Sane cum olim inter nonnullos dilectos filios S. Theologiae Magistros, ac I. V. Doctores, controuersiam quandam non sine populorum scandalo & murmuratione exortam, & nuper his diebus innotatam esse comperimus circa pauperum releuationem, in mutui eius publicae auctoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgo appellantur, quique in multis Italiae ciuitatibus ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiae, ne vltiarum voragine deglutiantur, à ciuitatum magistratibus & aliis Christi fidelibus sunt instituti, atque à sanctis viris diuini verbi praconibus, & laudati, & persuasi, ac à nonnullis etiam summis Pontificibus, praedecessoribus nostris probati & confirmati sint, ne praefati montes à Christiano dogmate dissonantes, vel non vtriusque parte diuersimode sentiente atque praedicante. Nonnullis enim magistris & doctoribus dicentibus eos montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore per ministros huius montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vltiarum crimine iniustitiae, seu ab aliqua certi speciei mali mīdos non euadere, cum Dominus noster, Luca Evangelista attestare, aperto nos precepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam vltra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est vltiarum interpretatio, quando videlicet ex vltius res, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nulloque periculo lucrum fa-

tusque, conquiri studetur. Addebant etiam iidem magistri & doctores, in his montibus neque commutatio neque distributio iustitiae fieri satis, cum tamen iustitiae terminos contra actus huiusmodi excedere non debeat, si debeat approbari: idque praeterea probare nitebantur, quia impensa pro huiusmodi montium conseruatione à pluribus, ut aiunt, debita à solis pauperibus, quibus mutuum datur, extorqueantur: pluraque interdum vltra necessarias & moderatas impensas, non absque specie mali ac incerto delinquendi, quibusdam aliis personis, ut inferre videntur, exhibeantur. Aliis vero pluribus magistris & doctoribus contra asserentibus, & in multis Italiae Gymnasiis verbo & scripto conclamantibus pro tanto bono, tamque Reipublicae pernecessario, modo ratione mutui nihil petatur, neque speretur: pro indennitate tamen eorundem montium, impensarum videlicet ministrorum eorundem ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium, absque montium huiusmodi lucro, idque moderatum & necessarium ab his, qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, licite vltra sortem exigi & capi posse non nihil licere, cum regula iuris habeat, quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat, praesertim si Apostolica accedat auctoritas. Quam quidem sententiam à felicis record. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VII. Alexandro VI. & Iulio II. Rom. Pontificibus praedecessoribus nostris probatam, à sanctis quoque ac Deo deuotis, & in magna ob sanctitatis opinionem existimatione habitis, euangelicae veritatis praedicatoribus praedicatam esse ostendunt. Nos super hoc, prout nobis est ex alto concessum, opportune providere volentes, alterius quidem partis, iustitiae zelum, ne vltius aperiretur vsurarum, alterius pietatis & veritatis amorem, ut pauperibus subueniretur: vtriusque vero partis studium commendantes, cum hac ad pacem, & tranquillitatem totius Reipublicae Christianae spectare videantur, sacro approbante Concilio, declaramus & definimus, montes pietatis antedictos per Reipublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impensis & indennitate aliquid moderatum ad solae ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indennitate duntaxat, vltra sortem absque lucro eorundem montium recipitur, neque speciem mali praeferre, nec peccandi incentiuum praestare, neque vltius pacto improbari, quum merito non esse, ac laudari & probari debeat tale mutuum & minime vsurarum putari, licereque illorum pietatem & misericordiam populis predicare, etiam cum indulgentiis à sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis: ac deinceps alios etiam similes montes cum Apostolica Sedis approbatione erigi posse: multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales montes gratuiti constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte huiusmodi montium ministrorum soluantur impensa, ut ad leniorem aris soluendi portionem medio hoc pauperes grauari contingat, ad quos, cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, CHRISTI fideles maioribus indulgentiis inuitandos esse decernimus. Omnes autem religiosos & ecclesiasticas, ac seculares personas, qui contra praesentis declarationis & sanctionis formam de cetero predicare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latae sententiae poenam, privilegio quocumque non obstante, incurrere volumus: non obstantibus praemissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, definitionis, decreti & excommunicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

In montibus igitur illis, hoc necessarium est, 1. ut mutuum detur omnino gratis. 2. ut ratione ministrorum aliquid detur, qui operas gratuitas non impendunt. 3. Domus et constituenda est, pignora asseruanda, & si ne aliquo sumptu non potest fieri. 4. Supra illi aequādi sunt, ut pauperes non magis grauetur quā diuites. 5. Nihil in his vltiarum est, nā si quis mutuum dat, testes, notariū

Impensa in
ministros
licita.

Har
liber

Har
m

Iura
itira
dini

tarium adhibet, pignus inspicit, aut adduci iubet, nec æquum eius sumptu qui dedit mutuum ista fieri. 6. Conandum tamen ut montes omnino gratis constituantur, sicut enim omnis causa suspicionis tollitur. Hoc autem duorum modorum alterutro fieri potest, vel utroque. Primo, ut census ematur annuus, quo sumptus necessarij tolerentur. Secundo, ut magni viri, fidi, diuites, scribarum, numeratorum, custodum officia gratis præstent. Nec in re tam pia labor infra vllius dignitatem est. Si enim in Italia, & Hispania, & nunc quoque in Gallia, & Germania, viri nobiles, & senatorij elemosynas pro pauperibus petunt, nec est contra exilium rationem eorum esse pauperum legatos, sed plus quam vlla purpura amplitudinem eorum exornat, quia & ad magnam Christi cedit gloriam pauperum suorum vicarios & procuratores esse purpuratos, & diuites huius sæculi altum non sapere, sed timere; nec paupertatem in Domini sui vita omnium sceptris antepositam, opprobriofam putare. Si reges & principes pauperibus ministrant; cur non & pauperum scribam, & atriensem agat diues? Quod vni ex minimis istis faciunt, Christo faciunt. omne officium Christo exhibitum, supra omnem dignitatem est, & omnino regium est, quia Deo seruire, regnare est.

CAPVT XIX.

Alie quoque rationes cogendæ pecunia, vscitata, & damnata.

§. 1. **S**VETONIVS de Nerone ista refert. Verum ut spes sefellit, desertus atque ita iam exhaustus & egens ut stipendia quoque militum & commoda veteranorum protrahat ac deferri necesse esset, calumniis, rapinisque intendit animum. Ante omnia instituit ut de libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans cogere tur ei, qui sine probabili causa eo nomine essent, quo fuissent illa familia, quas ipse contineret.

Hereditates libertorum.

Erat hoc ingens prædæ augmentum; nam cum ante semissem, hoc est, mediam partem hereditatis vindicaret fiscus, Nero dodrantem, hoc est, nouem vncias ex duodecim, seu tres quartas accepit. si hereditas erat duodecim millium, nouem imperator, tria hæres adibat.

Hereditates ingratiorum.

§. 2. **U**t ingratiorum in principem testamenta ad fiscum pertineret: ac ne impune esset studiosis viris, qui scripsissent vel dictassent ea.

Ingens sub latrone principe vorago. Omnium præsertim locupletum testamentis inscribatur princeps, quod magnum erat. deinde non parua illi portio assignanda, ne priuatis postponeretur. Terrio testamenta primipilariū, et qui sub Tiberio testamenta fecissent, ut ingrata rescidit, ita Suet. c. 38. Erant autem diuites primipilares, quorum hereditates ille rapiebat. Ex quo patet, eos ingratos esse vocatos, quibus ipse non esset hæres.

§. 3. **O**ccidere eos à quibus dictus hæres. Hoc Cai inuentum Suet. Quo metu iniecto, quum iam & ab ignotis inter familiares & à parentibus inter liberos palam hæres nuncuparetur, derisores vocabat quod post nuncupationem viuere perseverarent, & multis venenatas mactæas misit.

Iura ciuium iterato redimissis.

§. 4. **J**ura ciuibz tollere, cogere ita iterum redimant. Suet. Negabat iure ciuitatem Romanam vsurpare eos, quorum maiores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filij essent. Neque enim intelligi debere posteros vltra hunc gradum. Prolataque duorum Iulij & Augusti diplomata, ut vetera & obsoleta desolebat.

Plus in eo lucri fuit, quam quisquam etiam rerum Romanarum gnarus intelligere queat; nam hoc in censu, erat Romanorum pars si non maxima, certe ingens, & multarum myriadam quæ donatione, aut emptione, non ortu eam habebant. magna autem summa emebatur præsertim sub illo prædone, & ab

aliis, qui iam ea fruebantur; nec tutum erat non iterato emere, quod possidebant, ne & vitam ipsam perderent.

§. 5. **A**rguebat & perperam editos census, quibus postea quicunque de causa quicquam incrementi accessisset. Testamenta primipilariū, qui ab initio principatus Tiberij neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit: item ceterorum ut irrita & vana, quoscumque quis diceret heredem Casare mori destinasse.

Reuocare editos census.

Cur vero illud? Quia multis multa accesserunt, fraudem vero in edito censu fecisse, aut morte, aut exilio, vel libertatis amissione, certè publicatione puniebatur; considera in tanta multitudine decem millibus hominum aliquid accessisse, tot igitur patrimonium monstri illius vna calumnia, sed exquisitissima calumnia, deuorauit.

§. 6. **C**ognitio relata ad lucrum. Suet. Cognoscebat autem de talibus causis, taxato prius precio, mora impatiens, super XL reos quondam ex diuersis criminibus vna sententia condemnauit, gloriatusque est ex pergefacta somno Casonia, quantum egisset dum ea meridiaret.

Sententias vendere.

Quadrageña enim hereditates vno elogio adeptus est, & ut videtur luculentas; nam diuitibus tum calumniæ struebantur; deinde credibile est splendidos fuisse reos, quibz iudicandis ipse Caligula sederet.

§. 7. **C**ogere ut res viles immenso emant. Suet. Auctione propolita, reliquias omnium spectaculorum subiecit & vendidit: exquirens per se pretia, & vsque eo extendens ut quidam immenso coacti quadam emere ac bonis exuti, venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnio inter subsellia dormitante, monitum à Caio præconem ne pratorum virum crebro capitis motu nutantem sibi prateriret: nec licendi finem factum quoad 13 gladiatores H-S, non agies ignorant adde-rentur.

Emptiones iniquos insituere.

§. 8. **O**mnes fraudes venditioni admiscere. Suet. In Gallia quoque, cum damnatarum sororum ornamenta & suppellectilem, & seruos atq; etiam liberos immensis pretiis vendidisset, inuitatus lucro, quicquid instrumenti veteris aula erat, ab vrbe reperit, cõprehensit ad deportandum meritoris quoq; vehiculis, & pistrinis sibus iumentis, adeo ut panis Rome sepe deficeret, & legatorum pleriq; quod occurrere absentes ad vadium non possent, causa caderent. Cui instrumento distrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit: modo auaritia singulos increpans, & quod non puderet eos locupletiores esse quam se: modo penitentiam simulans quod principalium rerum priuatis copiam faceret.

Omnes fraudes mercatorias vscitare.

§. 9. **L**itium summas defalcare. Suet. Pro litibus atq; iudicijs vbicumq; conceptis, quadragesima summa de qua litigaretur, nec sine pena, si quis composuisse vel donasse negotium conuinceretur, defalcabat.

Litium partem ad se trahere.

Quanta illa præda omnium in tãto imperio litium? fuere illa tẽpora litibus refertissima, inter maximos, & ditissimos, ut summam omnium rerum litigiosarum magno regno æqualem fuisse non immerito putem. Imo nunc quoq; ita esse puto, quadragesimam ergo alicuius regni partem ea legerapiebat.

§. 10. **O**mnia lucra turpia sequi. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua, ex capturis prostitutarum quantum quæq; vno concubitu mereret. Additumq; ad caput legis, ut teneretur publico, & qua meretricium, quauis lenocinium fecissent, nec non & matrimonia obnoxia essent.

Lucra turpia.

Parua dictures, sed obgerulorum multitudinem toto imperio magnum vectigal. De capturis dicere pudor vetat. nec dubitare tamen quisquam debet, in cæca gentilitate, in tanta morum corruptione sub Augusto, Tiberio, Caligula potuisse ex sceleratorum libidinibus multas legiones ali. Corinthi in solo Veneris templo quatuor scortorum millia merebant. Sed præstat hanc Camerinam immotam esse.

§. 11. **H**æc indicere, nec proponere, ut ignorantia legis peccetur. Suet. Huiusmodi vectigalibus indictis, neq; Ignaros legis peccetur. Suet. Huiusmodi vectigalibus indictis, neq; Ignaros legis peccetur. Suet. Huiusmodi vectigalibus indictis, neq; Ignaros legis peccetur. Suet. Huiusmodi vectigalibus indictis, neq; Ignaros legis peccetur.